Quelle: https://manuscripta.at/?ID=772
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

aliquid quod ad edificationem fidei pertineat uirginibus. Et hoc modo seruabitur preceptum illud apostoli dicentis: omnia uestra honeste et secundum ordinem fiant.

Si conuenit eum qui preest cum ea que sororibus preest frequenter loqui, et maxime si aliqui de fratribus pro hoc leduntur.

Apostolo dicente ut quid enim libertas mea iudicetur ab alia conscientia. Bonum est imitari eum dicentem quia non usus sum potestate mea ut ne offendiculum aliquod darem euangelio Christi, et quantum fieri potest raro uidende sunt, et breuis est sermocinatio facienda.

Si oportet cum soror aliqua confitetur quodcumque delictum suum presbitero, etiam matrem monasterii adesse.

Honestius mihi uidetur esse et religiosius ut per seniorem matrem presbiter, si quid illud sit, uidetur statuat et modum et tempus penitentie imponat ad emendationem eius que corrigi desiderat a peccato.

Si oportet gesta turpia uel obscena confitentem inuerecundis enunciare omnibus, aut certis quibusque uel quibuslibet.

Confessio peccatorum hanc habet rationem quam habet uulnus aliquod corporis uel passio, que medico demonstranda est. Sic ergo non omnibus quis uicia uel uulnera corporis sui reuelat nec quibuslibet, sed his tantummodo qui summe peritie testimonium habent et cure ac medele disciplinam, ita et confessio peccatorum fieri debet apud eos tantummodo qui curare hec preualent et emendare secundum quod scriptum est: uos qui fortes estis infirmitates infirmorum portate, hoc est auferte et exportate per curationem.